



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria In Regvlas Cancellariæ Apostolicæ: Sive In
Glossemata Alphonsi Sotto, Glossatoris nuncupati**

Chokier, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1674

Reg. LVIII. de clausulis ponendis in litteris religiosorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62377)

caturum, & antequam vacaret, inuit matrimonium, ac defuncta uxore vacavit, non poterit eam petere, & multò magis perditur jus in re, quam ius ad rem, e. quem admodum de iureiur. Navar. c. si quando exceptione 6. num. 1. de Rescript. Sanchez. d. tit. nu. 6.

Sed quid si litteris resignationis nondum confectis, seu bullis non expeditis matrimonium contrahat, vel cucullam monasticam sumat, an beneficium nihilominus censeatur vacare? Affirmativam tenet Aegid. conclus. 644. incip. si Papa, quia gratia Papæ non dicitur perfecta, nisi reducatur in mundum, qua de re latè scripsi ad Reg. xxv.

Denique, quod diximus in simplici clerico eius beneficia vacare per contractum matrimonii ipso facto, non obtinere in beneficiato in sacris ordinibus constituto, sed per sententiam iudicis esse privandum scribit Navar. in Manu. c. 25. tit. de Peccatis clericor. nu. 120. Garcia tract. de ben. par. 11. cap. 8. num. 17. ubi multos allegat, quos videto.

Argumenta in Regul. lxxv. Innocentij VIII.

1. **A**N Regularis possit obtinere beneficium seculare sine dispensatione?
2. Iura loquentia de personis, loquuntur de idoneis, & non de aliis.
3. Quilibet præsumitur idoneus, nisi probetur contrarium.
4. Hæc Regula non est danda.
5. Camera non adstringitur dispositioni hujus Regulæ.
6. An solum Papam spectat derogare numero religiosorum.
7. Vbi non est certus numerus, Papa potest mandare, ut unus recipiatur ultra numerum tunc existentem.
8. Regularis sine dispensatione secularia beneficia obtinere non potest: limita ut numero 10.
9. Quid si Pontifex dispense cum seculari concedendo ei beneficium regulare, & electivum, ea lege ut si per

cessum, vel decessum vacabit, illud revertatur ad pristinum statum, an si fiat alterius conditionis, quæ faciat, ut beneficium quantumlibet electivum vacet in Curia, retineat dictum beneficium pristinam suam qualitatem, an vero reservatum censeatur?

10. Regulare beneficium seculari quando conferri possit.
11. Ordinarius an possit providere de beneficio alterius ordinis monacho.
12. Admissus ad beneficium regulare vel seculare admitti nequit in Capitulis generalibus, vel provincialibus, seu negotiis & officiis &c: sine consensu Generalis.
13. Regularis habens beneficium seculare cum dispensatione absolviatur ab obedientia sui Superioris.

Regula

Regula LXV. INNOCENTII VIII.

DE CLAVSVLIS PONENDIS IN
LITTERIS RELIGIOSORVM.

Item voluit, quod si petatur aliquem religiosum recipi, ac sibi de quovis benef. Ecclesiastico provideri per simplicem signaturam, fiat receptio huiusmodi dumtaxat, detur adiecto, si petens sit idoneus, vel aliud Canonicum non obsistat, & exprimat, si certus numerus Regularium sit ibidem, cui etiam non derogetur, nisi expresse concedatur: & si numerus iste non existat, ponatur: Dummodo locus receptionis eiusmodi nimium propterea non gravetur.

GLOSSEMA ALPHONSI.

A *I*sta Regula dicit quod si unus petat se recipi in religiosum alicuius monasterij, vel Ecclesia regularis, & sibi de quovis Ecclesiastico beneficio provideri, tunc si Papa simpliciter signet, videlicet fiat tantum debet sibi dari receptio, & debet addi clausula, scilicet, si petens sit idoneus, & aliud canonicum non obsistat, Item debet exprimere simpliciter an certus numerus regularium sit ibidem, & tunc etiam non derogetur nisi expresse dicat Papa in signatura: & si certus numerus non sit, tunc debet poni clausula dummodo locus receptionis huiusmodi nimium propterea non gravetur. hoc dicit.

B *H*ac Regula venit ad declarationem notatorum per glo. & Decium in c. quod Deitimorem, de statu regul. & est decisio Rot.e, scilicet, an Regularis potest habere beneficium seculare sine dispensatione, & quis potest secum dispensare quo ad hoc ut habeat beneficia simplicia, vel curata, & ad tollendum istas ambitiones, Papa dicit quod si unus petit, quod recipiatur in religiosum, & quod possit sibi provideri de quocumque beneficio seculari, quod per simplicem signaturam tantum detur sibi, quod recipiatur in regularem, &c: ad tollendum ambitiones: quia si forte iste velit intrare religionem & velit gaudere utroq; lumino non petit iusta: verum est tamen quod cum tali volente intrare religionem potest Papa dispensare, quod non completo voto habeat parochialem Ecclesiam ut dicit glo. sing. quam Abb. nescit alibi in d. c. quod Deitimorem.

Sed ad tollendum hoc dubium an videretur Papa dispensare dando sibi licentiam, quod posset habere beneficium curatum ut non intraret? dicit ista regula quod tantum detur sibi per simplicem signaturam, ut possit intrare religionem &c: Et quod dicitur hic de clausula

Tt

clausula

clausula, si sit idoneus &c : Ista clausula semper intelligitur : quia iura loquentia de personis intelliguntur de personis idoneis, & non de alijs, l. ut gradatim §. i. ff. de mon. & hon. & glo. in l. r. C. de sacrosanc. Ecclie. & c. Euntuchus 55. dist. tamen quia quilibet presumitur idoneus nisi probetur contrarium c. i. de serui. & c. si. de presump. ideo ponitur ista clausula ut examinetur iste talis, & committitur principali prelati monasterij, vel alteri canonico Ecclesie Cathedralis, secundum cap. statutum de rescripto libro sexto.

Ista regula non est danda : quia concernit expeditionem litterarum, & non potest decretum irritans : & credo quod Camera per simplicem signaturam concederet etiam receptionem, & quod haberet beneficia secularia, vel regularia : quia ista regula est Generalis & non extenditur ad Camera ut saepe dixi supra & addendum est, & male.

Item quoad secundam partem de derogatione numeri &c : tangit quod notatur in c. cum accessissent de const. & c. dilecto de preb. quando Ecclesia, vel monasterium habet certum numerum, & non creverunt facultates, quod ad solum Papam pertinet derogare numero, & quando non est certus numerus, ipse potest cogere ut recipiatur unus altera numerus &c : tamen Papa in hoc non vult facere prejudicium alicui l. i. §. si quis a principe ff. Ne quid in loco publico.

COMMENTARIA JO. A CHOKIER.

A *Ista Regula*) Hanc Reg. nonnihil ampliarunt Clemens VIII. & Paulus V. dum in extrema illius parte post verba *non gravetur*, subiecerunt sequentia : *possint q̄. Executores provisionis huiusmodi ad receptionem emissionis professionis non expectato probationis anno procedere.*

B *An Regularis &c :*) Adverte quod hæc pertineant ad Regulares possidentes, non autem ad mendicantes incapaces beneficiorum ob renunciationem omnis proprietatis, Emanuel Rodericus. *tomo 1. Quest. Reg. q. 34. art. 3.* Ceterum quoad illos vide Robuffum in *praxi rit. de dispen. cum regularibus facta per rot.* ubi etiam nu. 7. scribit regularem sine dispensatione secularia beneficia obtinere non posse, etiam si solita sine commendari *Concil. Trid. Sess. 25. de Reg. c. 21.* licet raro & magna cum difficultate in Curia concedatur, quod beneficia commendata ad regularitatem in titulum reducantur, teste D. Francisco Leone in *suo Thesoro For. Ecclie. p. 2. c. 3. nu. 19.* multo ergo minus curata, aut curam animarum habentia ex Constit. Gregorij XIII. quam refert Gonzalez ad Reg. VIII. *Concili. glo. 7. nu. 53.* ergo nec vice versa Regularia secularibus conferri poterunt. *Bellam. decis. 172. & 714. Flam. Paris. de Resig. ben. lib. 4. q. Garcia Masfrill. decis. Regni Sicil. 31. nu. 8. Rot. decis. 6. de Iurepatro, arg. text. in c. In nova actione 16. q. 7. dum dicit.*

dicit quod. In uno eodemq; beneficio non debet esse dispar professio, dicente Moyle: Non arabis in bove simul, & asino, id est homines diversa professionis in uno officio simul non sociabis, & ideo in expectativa pro monacho, si petatur ad duo beneficia secularia, vel regularia, ponitur hæc clausula: *ad unum beneficium sui ordinis in titulum*, *Staphil. de litt. grat. tit. de Octava forma expect.*

Sed quid si S. Pontifex dispenset cum seculari concedendo ei beneficium regulare, & electivum, ea lege ut quando cumq; per cessum, vel decessum vacabit, illud revertatur ad pristinum statum, maneatq; ut ante regulare, & electivum, an si is fiat Cardinalis, aut familiaris Pontificis, aut alterius conditionis quæ faciat ut beneficium quantumlibet electivum vacet in Curia, & apud Sedem retineat dictum beneficium pristinam suam qualitatem, an vero novam induat, seu reservatum censeatur? & quidem reservatum censeatur, & ad collationem Papæ spectare censuit Senatus Sabaudia in causa illust. D. Vincentij Laurei Cardinalis contra R. D. Abbatem de fillij 6. Kal. Martij 1589. teste Ant. Fabro lib. 1. definit forens. tit. 2. definit. 62. & ratio est quod ex mutatione personæ, mutetur quoque status beneficii arg. l. Per Curatorem §. 1. de acq. hered. l. ult. C. de inoff. testam. Siquidem non minus in concessionibus, quam in conventionibus conditio illa subintelligitur: Si res in eodem statu manserit arg. l. Cum quis 38 in pr. l. Cum Cornelius 82. ff. de solut. Ant. Faber d. loco. Verum ut regrediar unde diverti, advertè. 1. quod etiã¹⁰ citra dispensationem possit beneficium Regulare seculari concedi, dummodo is emittat professionem, c. cum caussam c. officij de electio. ibi Abb. nu. 5. nisi sint abbatia, & beneficia administrationem habentia, quo casu non nisi professis conferuntur. Tempus autem emittendæ professionis eiusmodi promotis ad beneficium Regulare, est sex mensium, *Concil. Trid. Sess. 25. c. 1. de Regul. vel secundum arbitrium Superioris pro diversitate qualitatis personarum gl. in d. c. officij verbo competenter*, *Paulus Piacensis in praxi Episcop. p. 2. c. 5. nu. 23.*

Secundo advertè Ordinarium non posse providere de beneficio Regulari nisi eo demum casu quo regularis Ordinarius fuerit in mora providendi c. inter quatuor de Regul. Ant. Faber lib. 1. definit. forens. tit. 2. definit. 77. ubi insuper addit beneficia regularia non solum conferri debere ei qui est ejusdem Regulæ, verum etiam qui ejusdem ordinis est, plerumque enim evenit aliquos esse ejusdem Regulæ, sed non ejusdem ordinis. Nam v. g. Benedictini, & Cistercienses sunt ejusdem Regulæ, sed non ejusdem ordinis. Itaque regularia regularibus ejusdem ordinis conferenda sunt, nisi Romano Præsulī aliud expedire videatur, *VVames. conf. 238 nu. 4. de Præb.*

Adverte 3 quod admissus ad beneficium regulare, velulare nequit admitti in Capitulis Generalibus, Provincialibus, seu Congregationibus, negotiis, & officiis, aut aliis administrationibus ordinis, nisi Generalis consensu interveniente, sub pœna excommunicationis, quam admissus & admittens ipso facto incurrunt

incurrunt teste Emanuele Roderic. *tom. i. Quest. Reg. q. 34. art. 5. quem etiam vide art. 6. ubi scribit quod regularis beneficium habens laicale cum dispensatione absolvitur ab obedientia sui Superioris, & ab omnibus & solitis observantiis, quas non potest commodè observare cum executione dicti beneficii; unde nunquam potest dimittere habitum nec proprium habere, sed tantum administrationem rerum sibi creditarum.*

Argumenta in Regul. LXVI. INNOCENTII VIII.

- | | |
|---|--|
| <p>1. VT religiosus impetrans fruatur dispositione huius regulæ debet esse eadem in eodem ordine.</p> <p>2. Effectus clausulæ: <i>audiatalis & iustitiam faciat.</i></p> | <p>3. Per signaturam simplicem non censetur facta mutatio vel translatio religionis.</p> <p>4. Hæc Regula an sit dedandis.</p> |
|---|--|

REGULA LXVI. INNOCENTII VIII.

DE TRANSLATIONE RELIGIOSORVM.

Item si Regularis petat sibi de beneficio ab aliquo monasterio, aut alio regulari loco dependente provideri, & appareat ex eiusmodi petitione quod alterius monasterii, vel loci religiosus sit, licet inibi translatio non petatur, nihilominus illa venit.

GLOSSEMA ALPHONSI.

Ista regula dicit quod si unus regularis petat sibi de aliquo beneficio provideri, quod dependet ab alio monasterio, vel alio regulari loco: & ex narratione appareat quod iste impetrans sit alterius monasterii, vel loci religiosus, quod etiam si non petatur translatio, tamen venit per simplicem signaturam h. d. Et intelligo istam regulam quando impetrans est religiosus, quia alias credo, quod non veniret arg. c. in nova actione xvi. q. vii. & c. cum commissione impetrata; ubi dicitur quod si unus petat causam temporalem committi simpliciter & de plano, & nihil est cancellarium, sed signaturam dicat audiatur talis & iustitiam faciat, quod per istam signaturam non potest ipse procedere simpliciter, & de plano: quia de commissione